



N.Y. sig. 4.





38

# MICULAS XX.

AUTHENTIÆ CHALDAICÆ

v. G. gen. m. V.

ALTDORFI d. 14. Nov. MDCCIII.

In AUDITORIO THEOLOGICO

moderationi τῆς συμφιλογίας submittent

PRÆSES

CHRISTOPHORUS Sonntag/

SS. Theol. D. & Prof. primarius,



RESPONDENS

ANDREAS SCHÄUBERT,

Wehrda-Noricus.

af.

---

Typis JODOCI GUILIELMI KOHLESIL.

MICHAEL XX

ANTHEMITE CHALDÆCÆ

ANNO MDCCLXVII. JULY. V. MDCCLXVII.

M AUDITORI THEOLOGICO

Impressionen  
Begleittexte & Anmerkungen

233 E 2

CHRISTOPHORUS GÖTTSCHE

22. April. D. 1815. Prof. Dr. Schlesinger

8

22. April. D. 1815. Prof. Dr. Schlesinger

ANDREAS SCHÄFER

22. April. D. 1815. Prof. Dr. Schlesinger

THEODORE ALBERTUS MONTEITH



בְּמִירָא דַי אִיהָא ייָ אֱלֹה לְעַלְמֵין :

## MICULA I.

 Um Gen. XXXI , 47. à Labane Aramæo nomen Chaldaicum inditur cumulo statuæque isti foederali , quam gener erexerat Jacobus , & vocatur נֶגֶר שְׁהָדוֹתָא acervus testimonii , Jacobo appellante פְּלָעָד ; eliciuntur hinc à nonnullis porismata : 1) matricem linguarum Hebræam & filiam Chaldaicam non omnino unam eandemve linguam appellari debere ; cum alii censeant hanc saltem illius esse dialectum (Vid. B. D. Sauberti nostri Palæstr. p. 372.) radicibus à matre deperditis in filia superstitibus , quod Schindlerus in Pentaglotto , Hottingerus in Heptaglotto , Nicolai in Hodgetico Orientali , & complures alii edocent : 2) formas literarum Hebræarum quadratas sive cubicas , quas hodienum divina servat providentia , à possessione Avthentiæ deturbari non posse , usque dum firmius asseratur atque comprobetur ista Hieronymi in Prologo galeato Tom. IV. op. fol. 7. hypothesis , quâ autumat , Estram Scribam legisque Doctorem post captam Hierosolymam & instaurationem Templi sub Zorobabel alias literas reperisse , quibus nunc utimur ; cum ad il-

Iud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebraeorum fuerint. Credibilis enim his videtur, Jacobum Patriarcham suum istud idioma Hebræum inde usque à familia Eberi, ex qua fuerat oriundus, accepisse, quam à gente Samaritica sumpsisse mutuò. Notam Briani Waltoni sententiam, quam in Prolegomenis Polyglottorum Anglicanorum orbi dederat eruditio, comprehendifecit *Systema Gothanum H. E. lib. I. p. 336.*

## MICULA II.

Comma undecimum capitinis decimi Jeremiæ  
 בְּדָנָה תֹּאמְרוּ לְהֹם אֱלֹהֵי־שְׁמִיא וְאֶתְקָא לֹא עֲבֹדוּ  
 merè Chaldaicūm est. Cum enim ex Judæa ad Judæos, in captivitatem Babyloniam una cum Rege Joachim deuctos, hoc caput epistolicum Propheta perscribat (adi sis Cornel. à Lap. in h. l. qui illud πολυθρύλην γ. 23. Scio, Domine, quod non est لَأَرْدَم via ejus, de homine singulari,  
 nempe Nebucadnezare, interpretatur) eosque ab idolomania & astrologia Chaldaeorum famosa dehortetur, γ. 2, 3. & seqq. ecce! compellans eos, qui degabant inter Chaldaeos, Chaldaicum quoque versum ist. hunc non sine gravi causa interserit: Sic DICITOTE ILLIS (vult, ut Judæi αἰχμαλώτοι etiam Ethnicis, inter quos vivebant, & illis quidem Chaldaeis, Chaldaica hæc & proprii idiomatos verba fideliter inculcent) DII ISTI, QVI COELOS ET TERRAM NON FEGERUNT, PERITURI SUNT E TERRA ET SUB COELO

COELO IPSI. Συνεκάρτεσι, hæc Spiritus Sancti, linguam eorum, quos convertere voluit, novo & inflexo quasi aſſatu ad illud ipsum conversionis opus adhibentis, & epistolam, quæ tota cæteroquin Hebraica est, totò iſthōc versu Chaldaico interpolantis, est oppido manifesta.

## MICULA III.

Quemadmodum liberrimæ Spiritus Sancti dispositioni id vendicatur, quod vocabulum, si non terminazione, tamen origine Persicum אָחֶשְׁדָרְפָנִיָּא Satrapæ

(περὶ τῆς λέξεως, ait Stuidas sub hac voc. Vid. Brisson. de regio Pers. princip. p. III.) intersperserit Textui Chaldaico Dan. III. 2: Ita non aliunde, quam ab eodem arbitrio & consilio Spiritus S. genuina asciscitur ratio, ob quam Daniel Prophetæ integer qua dimidiam fere sui partem idiomate Chaldaico fuerit exaratus. Fluit nimirum istud & porrigitur à cap. II, 5. u. a. caput VII. inclusivè. Similem epicrisin ferre decebit super Esra, cuius Authentia, inde usque à capite IV, 7. ad caput VI, 19. & rursus à versu decimo ad vigesimum septimum capitilis VII. Chaldaica est. Ita visum Spiritui Sancto Glossarchæ, idque propter commercium linguarum Hebraicæ & Chaldaicæ, Matris & Filiæ, quod inter Ecclesiam Dei αἰχμαλώτον, & Chaldæos, apud quos hospitabatur ac detinebatur, intercesserat. Interim à potiori, quod ajunt, & eo, quod ὡς ὅδη τὸ πολὺ sive ut plurimum contingit, denominationem fieri fatemur, quando requisitis libri canonici V. T. communiter hoc quoque accensetur, ut lingua sit Hebraica conscriptus,

nisi malis dicere, quosdam sub Hebraicæ linguæ titulo etiam Chaldaicam, Syriacam, nonnullis Surianam dictam, atque adeo quamlibet Aramæam, voluisse comprehensas.

## MICULA IV.

Chaldaismus est, affixionem secundæ personæ femininam si spectes, B. Dn. Mitternachtio aliisque dum observatus, & metro non sine elegantia adimplendo commodus, in illis Psalmi centesimi tertii vocabulis, y. 3. *Qui remittit tibi עונכִי tua, o anima mea, peccata.* y. eod. חלואיכִי *tuas infirmitates.* y. 4. *וַיְתָאֵת* *tuas*, sive vitam tuam. y. eod. המטרכה *coronans te.* y. 5. געורייכִי *juventutes tuas*, sive juventutem tuam. Adeo non erubuit mater à filia illud, quod sibi decorum erat, translumere, ut appareret, unam harum linguarum sine altera non posse satis dextre addisci.

## MICULA V.

Eadem mutua συνέμπτωσι, linguarum, matriculæ filiaeque, occurrere videtur in voce tritiore ac notiore בָּר *filius*, utriusque genium sapiente. Ita quippe Chaldaicè Dan. III, 25. לְבָר *quasi filius*, y. 31. בָּרָה *filius ejus*, V, 22. Sed & Hebraicè aureolum illud Psalmi secundi obviat in v. 12. נְשָׁקֶךָ בָּר *osculamini Filium*, haud alium certe, quam indigitaverat antehac, cum dixisset v. 7. בְּנֵי אֶתְחָרֶה *Tu es Filius meus* (annotante vel Abenesra)

Filiū

Filiū indicans. Sic mater ad Lamuelem Prov. XXXI, 2.  
**מה-ברִי** וַמֵּה בֶּן-בָּנִי וַמֵּה בֶּן-בָּנִי *Quid fili mi?* *quid, fili uteri mei? quid fili votorum meorum?* Ast Agur de Filio Dei, XXX, 4. **מה-שָׁם-***quod nomen Filii ejus?* B. Joh. Hein. Ursino in Salomone Evangelico aliisque admodum scitae id deducentibus.

## MICULA VI.

פְּסָנְחָרִין & סָמְפָנִיהָ *Dan. III, 5. ecquid, amabo, sunt, nisi Græca φαλτίγειον & συμφωνία?* Buxtorf. in Lex. Hebr. & Chald. de instrumentis Musicis interpretatur. En tibi ergo Chaldaismum avthenticum, ex Græcia accessum! Quem utique mallem concedere, quam Græcismum admittere in Hebræa dictione **מִכְרֹתֵיהֶם** Gen.

XLIX, 5. Conf. B. Gerhard. Comment. ad b. l. utut vel Rashi gladios explicet, qui Græcè dicuntur αἰ μάχαιραι, & in Pirke Elieseris scribatur de Jacobo, **אֲתָה שָׁקֵל חֲרֵבֶת בְּלַשׁוֹן יְהוָה** quod maledixerit gladiis ipsorum lingua Græcâ. B. Lutherus noster: *Ihre Schwerter.* Junius per conventiones reddidit à **מִכְרֹת vendidit**, quasi diceretur: Conventionibus sive pactionibus illis, quibus cum Sichemitis convenerant, perfide abusi sunt, ut seipso tanquam arma & instrumenta sisterent injustitiae & iniquitati ad perpetrandam violentiam. Alii redundunt habitacula ipsorum, fallor, an à **גּוֹרָת** derivantes, & convenientiam hujus vocis cum **מִגְרוֹתָם** supponentes?

*Quid multa vero? Cum radix Hebræa nobis, una cum ana-*

analogia formationis, suppetat, circa necessitatem hic matrix à filia, perinde, ac loco antehac producto Danielitico factum, nonnihil desumpsisse statuitur.

## MICULA VII.

Traflatitium est, accentuum quorundam, in Avthenia quoque Chaldaicâ distinguentium & conjungentium, nomina terminationes ascivisse Chaldaicas. Tales sunt Domini distinguentes v. g. סֹנְחָרָה, פֶּחֶתָּה, אַקְרָבָן, כְּלִילֵשָׁה magnus; & Servi conjungentes v. g. נְגָמָן, דְּרָנָן, קְדָמָן. Rationem hujus denominationis Chaldaicæ non improbabilē conjectura inde derivat B. D. Wasmuth. *Vindic.* p. 68. & seqv. & 132. & seqv. quod Tonologia Hebraica totumque illud Accentuationis studium temporibus Efræ & Virorum Synagogæ Magnæ consueto tunc Chaldaico potissimum sermone publice demum vigere cœperit, & quasi postliminiō in vulgatiorem usum revocatum sit, quod eousque non nisi inter paucos sanctiores & propheticos Divinæ Scripturæ Mystas, quasi oralis & παροπαρεχόν doctrina latuerat, cum in ipso nihilominus Textu semper eorumdem accentuum figuræ sive characteres, quamvis non in omnibus promiscuè exemplaribus, expressi essent. Cæterum dari etiam nomina Accentuum Hebraica, cuiusmodi sunt Rebhia, Schalscheleth, Munach, Mahpach, Jerah, Geresch, Geraschaim &c. haudquaquam inficiamur.

## MICULA VIII.

אַלְפָיִם (prout Rex Tipcha, arietinum cornū referens, quando immediate Sillukum & Atnachum Imperato-

ratores anteambulat, vocatur) non semper distingue-  
re, verum & positu irregulari defungi videtur. Instar o-  
mnium inspectari potest Gen. I, 16. וְאַתָּה הַכֹּכֶבִים ubi

hunc Tiphcham vicem virgulæ Makkaph, tanquam ex-  
tritæ, simul obire dixeris. Porro מְרֻכָּא mahpachatus,

in Psalmis v.g. I. 2, 3. frequentissime obvius, & cum Ath-  
nacho, qua subdistinctionem ditionis accentuatoriae  
majorem, facile decertans, veteribus parum innotuit.  
נְדָמָה pesikatus autem Ps. LXXXIV, 4. suo & ipse gau-  
det dominio; cum לְגָרְמָה five Munach pesikatus, pro-  
nunciationem decore suspendens, euphoniac potissi-  
mum subserviat Gen. I, 21. II, 5, &c. אַלְלָא tandem five  
Geresch, praconem suum antecedaneum קְרָמָא respiciens,  
vocem illius sibi adhærescere & jungi indicat, ut  
Gen. I, 9. נְשָׁפֵךְ verò, hunc eundem anteambulonem  
obtinens, foli Euphoniac inservit Gen. I, 22. Buxtorfius,  
eundem accentum super eadem voce bis positum in  
ejusmodi casu existimavit, Epit. Gramm. p. 12. Alii verò  
Paschtam ultimam vocis literam occupare, & per hoc  
אֲקָדָמָה distingui, opinantur.

## MICULA IX.

אֲקָדָמָה, extra Athentiam quidem Chaldaicam po-  
sita, in scholis tamen Masorethicis notissima & Chaldæo-  
Rabbinica vox, pausam denotat sive distinctionem in  
medio versu, quæ per spatium, circello Textus Athenti-  
ci (non superlinearis, sed mediano) notatum, indicatur, si-  
gnificatque insolens נִיאָסְנָה respiratorym in sensu, qui  
præter morem in medio completus videtur, cum aliæ

ordinariè cum Silluk in fine versus finiatur. Vid. B. D. Pfeiffer. *Hermen. sacr. p. 25.* Proinde versus Biblicus pisca-tus, sive per נְמַנֵּה diremptus, duo habet membra, quo rum utrumq; cùm prius, tūm posterius, ut integer Soph pasuk, seu mavis, ut unicus versiculus accentuatur, in quo nimirum accentus omnes, tanquam in unica regione, domini ac servi, distinguentes, subdistinguentes & conjungentes, fese respiciunt mutuò, & arcte à se invicem dependent. In loco Gen. XXXV, 22. habetur Silluk pisca-tus ; in cæteris exulat, & subdistinctorem vicarium Athnachum habet. Talia loca XXV. Buxtorfius exhibet *Tiberiad. p. II. cap. II.* Et Masora certe Gen. IV, 8. vel in

בָּחַ פָּסֹן פָּסָקָא בְּמִצְעָיו פָּסָק  
Bibliis Clodianis sic habet : Sunt 28. *versus*, *desinente*s in medio *versu*. Sed Gen. XXXV, 21. eadem Masora tantum בָּחַ XXV. loca insinuat. Literæ vero Hebrææ ה & ה ob similem fere figuram facile poterant inter se permutari. Vid. *Dn. Weimari doctrina accent. Hebrææ p. 104. & seq.*

## MICULA X.

Enimvero laudatus Autor, cuius perinde, ac B. Dn. Dörfelii, Superintendentis in patriâ meâ meritissimi, Accentuatoris accurati, amicitia vel olim frui licuit, p. 108. inter loca pisca-ta genuina & spuria distinguit. Illa omnia vult percensita subsequam in seriem: Gen. IV, 8. XXXV, 21. Num. XXV, v. ult. una cum sequente verso primo Capitis XXVI. Deut. II, 8. His annumerat in accentuatione Decalogica Exod. XX, 14. Deut. V, 18. Item Jos. IV, 1. VIII, 24. 1. Sam. X, 22. XIV, 36. XVI, 2, 12. XXIII,

10

¶¶( II. )¶¶

XXIII, 2, 11. 2. Sam. V, 2, 19. VII, 4. XII, 13. XVI, 13.  
 XVIII, 2. XXI, 1. XXIV, 11. 1. Reg. XIII, 20. Jer.  
 XXXVIII, 28. Ez. III, 16. Hæc autem annotat Jud. II, 1.  
 1. Sam. X, 19. XVII, 37. 2. Sam. VI, 20. XVII, 14. XXI, 6.  
 XXIV, 10. Credo, Virum doctissimum per loca p̄scata  
 spuria non ipso met Textus Biblicos, verum circelloz  
 modo quosdam spuriis, à Masorethis textui Avthentico  
 non intersertos, sed ab aliis nescio quibus in certis tan-  
 tum exemplaribus ascriptos, intellexisse. Cæterum  
 asterisci in Bibliis Clodianis Es. VIII, 3. & 2. Reg. I, 17.  
 itidem ~~voθ ειαν~~ aliquam & ~~Νηδον~~ subinruere videntur.  
 Sed tamen & Ezech. XLIII, 9. Piska, pausationi ac respi-  
 rationi legentium inserviens, neque analogiae accen-  
 tuationis adversans, in iisdem Bibliis exhibetur.

## MICULA XI.

Cum Dan. V, 25. in pariete scribuntur hæc verba :  
 מִנְאָמָן תְּקֵל וְפָרַמְזֵן sensus Grammaticus hic est :  
 Numeravit, numeravit (scil. Numerans Deus, annos re-  
 gni tui, & complens illos) Appendit (scil. Appendens  
 Deus in bilance justitiae suæ) & dividentes (sunt Medi  
 ac Persæ regnum tuum inter se) De eō, quod Sapien-  
 tes Chaldæorum non potuerint legere scripturam  
 hanc, Interpretes variant. Nicol. de Lira ex mente Ju-  
 dæorum docet, scripturam fuisse literis Hebraicis con-  
 cinnatam. Alii putant, literas fuisse transpositas & mu-  
 tatas, aut peregrinas & inusitatas : Alii, literas tantum  
 initiales verborum singulorum, per abbreviaturam  
 conscriptas : Alii denique, voces integras, characteri-  
 bus Chaldaicis exaratas, at sine punctis ; Chaldæos au-

tem nescivisse, quænam cuique puncta essent subjicienda, ut certum eruerent sensum. Vid. *B.D. Musæi Prælectiones MStæ in b. l.* Excutiemus, si lubet, in conflitu hanc ultimam sententiam, eō nixam fundamento, quod Rex desideraverit lectionem scripturæ certam, quæ certum verborum sensum evidenter gigneret: tres autem illæ vocalæ ita sese habuerint, ut suum quæque sensum gigneret, aut gignere certe potuerit variū; neque ita cohæserint insuper, ut certum contextum certamve constituerent periodum: unde verisimile fiat, dubitasse Chaldæos, quænam puncta cui vocali essent subjicienda, cum alias ratio punctandi ex contextu & cohærentia vocum petenda veniat.

## MICULA XII.

Quanto insignior est locus Psalm. LI, 7. ubi dicitur: *Ecce, in iniquitate conceptus sum, et in peccato יְחִמָּה נִכְתַּבְנִי ca-  
lefecit me mater mea;* tanto notabilior est Chaldaismus hujus vocis, afformativō ו pro ו positō. Est præterea Pihel cum Sægol, propter subsequens Chateph-sægol, perinde, ac Gen. XXX, 39. יְחִמָּה הַצְנֵא. Ut adeo non abs re existimaveris, in Lexico minori Buxtorfiano sphalma typicum irrepississe, sub radice מְנֻן, quando יְחִמָּה ad Niphah legitur relatum.

## MICULA XIII.

Quoties in Textu Avthentico particulae præfixum נ recipiunt; toties id genio Chaldaismi transscribitur.  
Exem-

13. 180

Exempla passim obviant. Sic datur **הַנְּאָזֶן** sarkatum & mercatum Pf. CXVI, 4. à **נָעַז**, quæso, obsecro, quò sive quorsum Pf. CXXXIX, 7. Et per **נָאָזֶן**, Pf. CXVIII, 25. Quæso, Domine, salua; **נָאָזֶן** quæso, Domine, fac prospere succedere! Sic **אֲבִין** Ef. LIII, 4. à **כָּעֵן**: Sic **אַלְגָּוֹן** ecce Dan. VII, 8. à nonnullis huc trahuntur.

## MICULA XIV.

Particula **בְּעִנְתָּה** Esr. IV, 10, 11. haud incommodè reducitur ad nomen **ny tempus**, ita, ut sit epentheticum. Proin contraetè **י. 17.** **כְּעִתָּה** dicitur. Junius reddit Eodem tempore, tali tempore, id est, die, mense, aut anno definito; annotans, temporis notationem literis fuisse præfixam, ceu factitare mercatores & pragmatici forenses soleant. Et idcirco exhibetur ibidem lectori v. II. **בְּרַשְׁתָּן אֲנוֹרָתָא** **פְּרַשְׁתָּן** exemplar epistolæ ad Arthasastam missæ. Recurrit eadem particula sub eadem Decreti regii, ejusque scripti, notatione cap. VII, 12.

## MICULA XV.

Etsi Esra cap. VII, 12. in literis Arthasastæ vocatur **סָכָר דָּתָא דִּיְאָלָה שְׁמֵיָא** **בְּהַנְּאָזֶן** Sacerdos peritus legis Dei cœlorum; inde tamen haud probari illorum sententia potest, qui putant, Esram literas Avthenticas, quæ Samariticæ fuerint, in cubicas transformâsse. Contrà verisimiliter

militer nonnulli argumentantur ex Nehem. VIII, 8. (ubi  
sub Esra lectum fuisse in libro illo, nempe in lege Dei  
מִפְרַשׁ, hoc est, vertente Junio, explanatè, וְשָׁבֵל שְׁבֵל  
וְיַכְנֵנוּ בְּמִקְרָא)

ita, ut legentes exponerent sensum, darent  
que intelligentiam per Scripturam ipsam) codicem illum  
legis, ex quo solennis hæc instituta lectio fuerit, non  
suis modo consonis, verum etiam punctis vocalibus &  
accentibus constitisse. His nimirum absentibus, le-  
ctionem quidem vagam, probabilem, &c, prout hodie  
usu inolevit, Rabbinicam; explanatam tamen, certam,  
& in negotio tanti momenti divinæ intelligentiæ ac  
plerophoriæ ~~uet~~<sup>et</sup> doloris fieri haudquam potuisse, cen-  
sent. Certissimum præterea ex Dan. IX, 2. סְפִירָה sive  
libros divinitus inspiratos in ipsa quoque ~~αιχμαλωτικ~~,  
ad vigilante providentia divinæ oculo, reliquos man-  
fisse, idem supponunt, & characterem quadratum, ho-  
dienum superstitem, ita suâ gaudere possessione arbit-  
rantur, ut rationibus in contrarium allatis ab ea nul-  
latenus dejectus sit.

## MICULA XVI.

Emphaticum est, quod Dan. III, 8. de accusatoribus  
Judæorum coram Nebucadnezare profertur: זָבְלָן :

Comederunt accusations ipsorum Ju-  
dæorum. Cur autem comedenterunt? Est idiotismus Ara-  
maeus. Confer Syrum Luc. IV, 2. & Epist. Jud. v. 9. ubi  
Diabolus ipse vocatur קָרְצִיחָן דִּי חֹדְרָא, comedens obtre-  
ctatio-

፩፪ ፭፻

ationem, seu obtrectator. Est autem *Comedere calumniā* idem, quod *Prodere ventris causa*. Nam qui proditoribus delebantur, solebant conviviis eosdem excipere. Hi ergo dicebantur accusationes comedere eo, quod aliena viventes quadra criminarentur alias potissimum cibi ac ventris causa. Per Synecdochē specieī pro genere deinde quivis Sycophanta & calumniator calumnias devorare suas perhibetur. Unde actus cavillandi vocatur **חַלְקָדָה;** *devoratio calumnae, obtrectatio Rom. I, 30. & divisim Joh. XVIII, 29.*

## MICULA XVII.

Cum Dan. II, 45. in somnio dicitur **אֵן רִיאָה**,

**בִּירֵין חֲרַקְתָּה פְּרוֹלָא נַחְשָׁא חַסְפָּא כְּפָפָא וְרַחֲבָא** *Lapidem,*  
qui non fuerit in ulla manibus, comminuisse ferrum, *as,*  
lutum, argentum & aurum, ex quibus nempe compo-  
situs fuerit Colossus monarchicus; comminutio illa &  
contritio imperiorum, quae Christo Lapii vero, vivo  
& quadrangulari salutis nostrae, attribuitur, intelligi po-  
test *a)* quae dominium spirituale. Abolevit nempe Chri-  
stus imperia Ethnica, dum cultum eorundem idolola-  
tricum & impietatem per prædicationem Evangelii de-  
struxit. Abolebit *b)* quae dominium temporale: idque in  
consummatione seculi, sive in die extremo. Tunc vi-  
delicet Lapis hic de monte excisus, hoc est, ex Ecclesia,  
eiu monte Domini magno, qua humanitatem ortus,  
conteret hæc divisa imperia omnia, ita. ut non am-  
plius inveniendus sit iis locus, regnisque terrenis  
omni-

omnibus contritis & extintis, regnum suum spirituale ad statum gloriae perfectissimum provehet & extolleret.

## MICULA XVIII.

Etsi vocabulum יְהוָה non semel inter παράληπτα pleonastica & abundantia refertur; id tamen non semper, nec ubivis dicendum. Occurrit locus Esr. V, 12. ubi minus quadrat ista observatio. Profitentur ibidem de majoribus suis Iudæi, quod Deus יְהוָה בְּיַד נֶבֶכְדָנֵעַ tradidit eos in manum Nebucadnezaris,

*Regis Babylonie Chaldei.* Ecquis hic diceret, nomen יְהוָה παράληπτα, aut esse superfluum? Simile judicium ferendum est de מְמֻרָה & דְבָרָה, aut מִמְרָא, Hebr. דְבָרָה, & רְבָרָה, quæ interdum πλεονάζει aut pro reciproco pronomine, perinde, ac ψ. וְרֹוחַ נְפָשָׁה &c, usurpari, haud equidem inficior; nolim tamen applicari hoc ad locum classicum Psalm. XXXIII, 6. Siquidem ibidem ejusmodi prædicatum extat (Facere cælos omnemq; exercitum eorum) quod τῷ Αόγῳ, tanquam principio quod Joh. I, 1, 2. Col. I, 16. Hebr. I, 10. tribuitur. Nihilosecius verbum שְׁהָעֵד, Fecit, Creavit, ipsimet רְחֹם אל five Spiritui Dei, tanquam principio quod, Job. XXXIII, 4. in casu recto attribuitur a vendicatur. Diluta igitur & minus idonea foret explicatio: Verbo Domini (i. e. per Dominum) cœli facti sunt; & Spiritu oris ejus (i. e. per os ejus) omnis exercitus corum.

MICU-

## MICULA XIX.

Prima bestia, ex mari ascendens, quam Daniel cap. VII, 3. vidisse narratur, leo fuit, ceu dicitur קָרְמִירָה, additurque נָפָן דַּיְנָשָׁר לְהֵבָרִיה Et alæ aquilæ ipsi erant. Leoninam utique retulit speciem imperium Chaldaeorum, ob leoninam Regum Chaldaeorum potentiam, magnanimitatem & ferociam. Per alas vero aquilinas significari putatur summa celeritas, qua illud in subigendis populis & conficiendis bellis usi fuere.

## MICULA XX.

Cum Daniel ascendiſſe memoratur cap. VI, §. 10. על בְּבִתְתָּה וּבוֹן פְּתִיחָן לְהֵבָרִיה נֶגֶד יְרוּשָׁלָם וּמִינָּן מִלְחָה בְּיוֹמָא הַוָּא בָּרָךְ עַל־בְּרֻכָּה וּמְצָלָה וּמוֹדָה קָדָס אֱלֹהִים in domum suam, Et fenestrae aperte illi, in cœnaculo ipsius è regione Hierosolymæ; Et temporibus tribus in die ipse procumbens in genua sua, Et orans, Et confitens coram Deo suo, sistitur; docet nos, Deo magis obediendum esse, quam hominibus Acto. V, 29. Versio autem faciei adversus Hierosolymam, juxta postulatum Salomonis facta 1. Reg. VIII, 48. scite dilucidatur à B. D. Hildebrando Ritual. orant. p. 21. Et seqq. Tria tandem orandi tempora, eademque stata, fixa & ordinaria David quoque commendat Ps. LV, 18. Et vero commodum, observante Junio ad h. l. fuit matutinum,

¶ 18. ¶

tinum , antequam prodiret Daniel ad negotiationum  
procurationem ; meridianum , cum ad cibum capien-  
dum reverteretur , uti de Josepho legitimus Gen. XLIII, 16.  
& vespertinum , cum sese reciperet à negotiis . Idque  
ad eo fecit apertis coenaculi fenestris , hoc est , palam ,  
neminem hominum veritus , in casu quippe confessio-  
nis versatus , quo per Regem , fraudibus Procerum in-  
ductum , ea præcipiebantur , quæ contra pietatem , con-  
tra Deum , contra religionem militarent ; quo quidem  
in casu simulationi nullus datur locus .

---

## COROLLARIA.

### I.

*E*rrores Reformatorum prædominantes fundamento fidei  
minime sunt conciliabiles ; quæ fuit B. Lutheri , quæ est  
Theologorum γνησίως Lutheranorum , quæ & mea senten-  
tia , ante aliquot jam annos ex hac cathedra defensa , utut  
eam ψιλονοδίνως cuidam Gallicano , scripta mea satis  
impotenter calcitranti , cuius tamen Χαρτας τας σημι-  
τευκτης η εθεμας της ανταποχροεως αξιωτες ne vidisse  
quidem contigit , parum arrisissē intelligam .

### II.

*S*i vera est celebris Theologi Reformati , ejusdemq; Irenici  
& Henotici , assertio , *QVOD inter nos & ipsos NON  
AGATUR DE MUTANDA SENTENTIA ;*  
ecqua , malum , speranda reunio ?

### III. In-

## III.

Incredulitas & impoenitentia finalis ad ultimum vitæ momentum sub dupli ratione ac notione pertinet 1) prout istud ultimum & vix est hujus vitæ terminus, 2) prout idem istud ultimum & vix est simul initium aeternitatis. Priori modo consideratur quæ meritum aeternæ damnationis; posteriori quæ actualem illationem ejusdem; & ita cum laqueo Judam suffocante à nonnullis comparatur. Priori modo Christus pro ea satisfecit; posteriori modo non item.

## IV.

Intelligendus ita videtur B. Meisnerus noster Quæst. III. Vexat. S. 13. Postremum, inquiens, Judæ in mundo viventis peccatum, actus ille suspendii novissimus & momentaneus, simul fuit primum Judæ damnati & in inferno existentis peccatum, cuius nulla impetrari potest venia.




Exdū

20.


Σταύροτε, Μασέων τέκ<sup>Θ</sup>  
Καὶ γλωττέων φίλ' ιερῶν,  
Ἀγαλλιώματ, ὑψόθεν  
Πᾶν αἴσιον καὶ ἔυχοματ  
Τεῖαις μενονάδις καὶ κέποις.  
Τηρεστάτοις ἐν δώμασι  
Ναίων πόροι τεῦν καλά,  
Καὶ ἐν λογοῖ πόρρω τεῦν  
Σπερδήν ἐν ιεροῖς ἀντολῆς  
Βίβλοις σελίδι τε πανσόφω  
Θεοσύτοι Πνεύματ<sup>Θ</sup>  
Σπερδασμένην Διχριπερές.

Commendanda DN. RESPONDENTIS SUE  
industrie id datus

PRÆSES.







Fd 6020 II

(2)




TA-90C

WMA Wits



B.I.G.

Farbkarte #13



AS XX.

CHALDAICÆ

Nov. MDCCIII.

THEOLOGICO

*ιλολογία* submittent

ESES

ORUS Sonntag/  
Prof. primarius,

NDENS  
CHAUBERT,  
Noricus.

ELMI KOHLESII.

v. Ex.-gen. m. V. 1

af.